




1. Bauer s. Chr. Frid. / Diss. de gratiosa Spiritus
3. disciplina, exitiose contenta Wittenb. 1742.
2. Baumgarten s. Sigism. Jac. / Diss. de ultima
coena Christi paschali Hald 1743.
3. ——— Diss. de conversione non instantanea,
Hald 1743.
4. Bebelij s. Balth. / Diss. de primogenitura
ex mortuis redituri Domini Jesu Christi
francof. 1743.
5. Benner s. Joh. Herm. / Zingendorff sive Catechis.
nurs. v. A. Giffle 1749.
6. Boerner s. Mr. Fried. / Diss. de Andronice
et junca ⁱⁿ Epist. ad Rom. XVI.
v. 7. Lipsid 1742.
7. Clauswitz s. Bened. Gottl. / Diss. nova
de fide in Jesum Christum
Hald 1743.



* * *
RECTOR
VNIVERSITATIS LIPSIENSIS
 AD
SACRA
PENTECOSTALIA
 IN
TEMPLO ACADEMICO
 CRASTINO, DEO VOLENTE, DIE
 HORA XII. ANNO A NATA MVNDI SALVTE
 CIO MDCC XXXXIII
SOLEMNI ORATIONE
CONCELEBRANDA
 OFFICIOSE AC PERAMANTER
 INVITAT.





agnopere hortatur Apostolus Theſſalonicenſes, Chriſti Ieſu ſacris initiatos, 1. Theſſ. V, 19, τὸ πνεῦμα μὴ σβέννυτε, *Spiritum ne exſtinguas*. Paucis verbis multa complectitur gentium Doctor. Nemo noſtrum ignorat, perſequenti ſacrarum literarum uſu per τὸ πνεῦμα intelligenda eſſe δῶρα πνευματικά, ſiue chariſmata a Spiritu S. collata, qualia ſunt e. g. fides, ſcientia, ſapientia, diſcretionem Spirituum, donum linguarum, et in Apoſtolica Eccleſia donum ſanationis, nec non ἡ ἱκανότης dextre interpretandi verbum Propheticum, et vindicandi Oracula Meſſiana 1 Cor. XIV, 1. 4. 8. 10. 28. Horum χαριſμάτων ſunt certae διαρέσεις, nec exigua varietas, quibus partim Chriſti nomen profeſſi ſanctificantur, partim eccleſiae miniſtri ad munus ſacrum, rite et fructuoſe obeundum, idonei redduntur. HAEC τῷ ἀνθρώπῳ τοῦ Θεοῦ, ſiue Theologo, ita ſunt neceſſaria, vt ſine illis nec oraculorum prophetorum ſenſum genuinum adſequi, nec aliis ſolide dilucideque enucleare, nec ad ſui, aliorumque aedificationem applicare vtiliter poſſit. ILLA vocantur dona ſanctificantia, omnibus Chriſtianis communia, fides videlicet, nullo obducta ſuſco, et δι' ἀγάπης ἐνεργεμένη, Gal. V, 6, quales καρποὶ τῶ πνεύματος poſtea ſub capitis finem enumerantur, videlicet χαρὰ, εἰρήνη, μακροθυμία, χρηστότης, ἀγαθωσύνη, πραότης, ἐγκράτεια, et hiſ ſimiles alii fructus, ac χαριſματα cum ordinaria, tum extraordinaria, qualia Theſſalonicenſes non debebant ἐξεθενεῖν, pro re nihili habere, ac adſpernari, et multo minus σβέννεσθαι, proſus exſtinguere, aut delere, tanquam res exigui, aut nullius momenti. Quod verbum σβέννυμι et σβεννώω proprie uſurpatur de exſtinctione lampadum et ignis, Matth. XXV, 8, et Marci IX, 44, ſi aqua e. g. affundatur, vel ſuffocetur, vel alimenta ſubtrahantur. Figurata eſt *deleu*, exſtirpo, eneco, ſecundum vaticinium Eſaiae de Meſſia, qui λίνον τυφόμενον ἐν σβέσει Matth. XII, 20, elychnium fumigans, ſiue fidem in infirmis, dicitur non exſtinguetur, et deleturus, ſed ἀναζωοποιηθῆναι, ſiue τὸ ζῶπυρον, ignis ſopiti reliquias quali reſuſcitaturus ex cineribus, et
fotu-

foturus, quod omnium piorum, ac inprimis antiftitum et Doctorum Ecclesiae officium est, ab Apostolo inculcatum II Tim. I. 6. Apud ANTONINVM Philosophum *, τὸ σβεσθήναι exponitur per νεκρωθῆναι, et vtrique verbo opponitur τὸ ἀναζωπυεῖν, opiniones veras et rectas, quas prius animo conceperas, quae autem, tanquam sub cineribus igniculi, sopitae quodammodo, et sepultae iacent, exponente GATAKERO in *Notis*, resuscitare, *refocillare*, siue singulari perpetuoque studio, in memoriam reuocare, ac iterum viuificare. Modus loquendi, quemadmodum cuilibet lectori continuo apparet, desumptus est ab igne, de quo proprie vsurpatur τὸ σβεσσαι, quod HESYCHIVS exponit per πᾶσαι. Sic Athenienses apud AELIANVM** τὸν θυμὸν aestum irae, aduersus Chalcedenses, abs se deuictos, conceptum, οὐκ ἔσβησαν, non *extinxerunt*, nec intra terminos continere potuerunt, etsi captiuos in vincula dederant. *** Dona spiritualia σβεσθήσεται, *extinguentur*, et peribunt cum ipsa fide, et eius fructibus, quando segnescimus, et illis non vtimur, nec fouemus, et augemus precibus, quotidiana exercitatione, crebra lectione, et meditatione Verbi diuini. Oportet igitur ἀναζωπυεῖν, et incrementum charismatum nec in nobis, nec in aliis, vlla ratione impedire, aut negligere.

Nostra opinione Apostolus respexisse videtur ad ignem sacrum in ara Templi Hieros. exteriori perpetuo alendum, quem nefas erat negligere, et non fouere, aut, quod peius, et funestum erat, data opera extinguere, aut negligere. Nam Hierosolymis Iehouae erat focus, Esaiac XXXI, 9, et ignis *Tifone*, videlicet ἀσβεστος, nunquam extinguendus, vel negligendus, sed a sacerdotibus diligentissime curandus fouendusque. Mandatum diuinum existat Leuit. VI, 13, אש תמיד תוכר על המזבח לה תכבה. Alexandrini Interpretes exposuerunt, πῦρ διὰ παντὸς καυθήσεται ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, οὐ σβεσθήσεται.

A 2

VVLGA-

* MARCVS ANTONINVS *Libr. VII. §. 2. f. 206. edit. GATAKERI.*** AELIANVS *Libr. VI. Var. Histor. Cap. I. p. 440.**** Vid. 10. ALBERTI *Obseruat. Philologicae ad N. T. p. 390.*

IV

VVLGATVS paullo liberius vertit: *Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari*, quandoquidem in illo quotidie sacra facienda erant. Curare igitur iubentur sacri ordinis viri, ne vnquam contingeret, vt sacris faciendis ignis facer deesset.

Ignis Iehouae in sacro codice saepe referri debet ad symbola gloriae, et ad maiestatis diuinæ praesentiam, ac manifestationem. Quando Deus populo Hebraeo sese exhibuit praesentem, aliquoties in fulgentissimo apparuit igne. Sic Filius Dei Mosi in rubo sese conspiciendum praebuit **אש ברובה** in flamma ignis, Exod. III, 2. Quando lex promulgabatur in monte Sinai, Iehoua super eum descendit **אש** in igne, Exod. XIX, 1. et XXV, 17. Certe imago et symbolum ignis atque lucis peraccommodatum, aptissimumque videtur ad designandam naturam Dei, qui **Φῶς ἐστίν, καὶ σκοτία ἐν αὐτῷ οὐκ ἐστὶν ἐδεσμία**, 1 Ioh. I, 5, *lux est*, in qua nec tenebrae aut caligo, et ne vllum quidem caliginis indicium, aut **προπῆς ἀπικονίασμα**, Iac. I, 17, inuenitur, sed qui totus simplicissima lux est, quae propter suam **ἐνεργειαν**, et operandi vim, puritatemque, omnes sordes excludit, et diuinam iustitiam ac sanctitatem egregie repraesentat. Idcirco semet ipsum Seruator vocat *lucem mundi*, siue Solem, quando ait Ioh. VIII, 12, **ἐγὼ εἰμι τὸ Φῶς τῆ κόσμου**, respiciens ad Malach. IV, 1, in quo oraculo salus per Christum impetranda sub imagine Solis, et sub igne eius **ἀσβέσω**, siue sub foci perpetuo ardentis emblemate, perbelle ob oculos nobis depingitur.

E contrario ignis Iehouae nonnunquam ad diuina iudicia refertur, et ad poenas a Deo immixtas. Hoc sensu Moses grauitur monet populum immorigerum, Deut. IV, 24. *Iehoua Deus tuus est* **אש אוכלת** **אש** ignis consumens, fortis, zelotes; nec non Deut. IX, 3, vbi idem inculcat. Hos locos respexit Apostolus Ebr. XII, 29, quando ait, **ὁ Θεὸς ἡμῶν πῦρ καταναλωτικόν**. Eadem sententia poeta sacer canit Psalm. L, 3, *Deus noster veniet, et non silebit*, **אש לפניו תאכל** ignis coram facie eius consumet. Hanc ob causam Dei iudicium horrent peccatores, quando scelerum conscientia vrgentur, et fugiunt eius praesentiam

scenciam, כַּשׂ אֶחָלָה velut ardentem focum, et furorem ignis, ruinam paraturi, ac propius accedentes consumturi. Subditis ignibus efferuescunt aquae. Trepidant etiam, et horrent mortales vitiiis inquinati, diuinum iudicium, et publicas calamitates, aientes, absque graui noxa et laesione fieri non posse, vt quis magno igni, cum quo diuina iustitia et maiestas comparatur, וְמוֹקְרֵי עוֹלָם et *focis aeternis cohabitent*, Esaiæ XXXIII, 14. Imprudenter in hoc oraculo explicando versati sunt VATABLVS, et H. GROTIVS, secuti KIMCHIVM, ducem coecum, qui textui hoc adscripsit scholion מִי יַעֲמִיד הַחַיִּים כִּכְנֵר מִרְנַה הַזֶּה quis sustinebit vim Assyriam, aut quis consistere poterit contra tantum hostium exercitum, qui est ignis consumens, et focus sempiternus. Nec vero consentaneum fit, quod protulit eximius Ignatiani ordinis sodalis G. SANCTIVS, Assyriorum exercitum antecessisse ignem. Quem morem ab iis Babylonii, et ab his Persae acceperint. De his vtrisque id satis constat ex historiarum monumentis. De Assyriis autem, quod ignem, diuinitatis symbolum, exercitui praeferre consueuerint, nihil certi auctores memoriae prodiderunt. Ac quam dura et hyperbolica foret locutio, iudice VITRINGA, exercitum hostilem, quantumuis validissimum, appellare *ignem consumentem, et focum aeternum*, hoc est, Numen sub igne cultum. Alibi ignis Iehouae notat terribilem poenam Numer. XI, 1. in Hebraeos, ad Pharaniticam solitudinem proficiscentes, et ob ciborum penuriam, et itinerum molestias murmurantes, ac quotidianum mannae subsidium fastidientes, immisissam. Qui ignis forte *καύσων* fuit, et ventus australis, vrens et pestilens. Idem ignis Iehouae alibi notat fulmen, et sulphur quasi ignitum, quod depluisse dicitur e coelo in vrbes et regiones Sodomiticas, Genes. XIX, 24. Quale supplicii terribilis genus Deus iratus minatus est improbis, depluiturus in eos ignis ac sulphuris imbres ac turbines, hoc est, fulmina et fulgura, Psalm. XI, 6, Ezech. XXXVIII, 20. Haec quippe nihil sunt aliud, quam exhalationes sulphureae, quae sulphuris odore satis se produnt, quando, secundum Poetam

Tonat, ocyus illex

SULPHVRE discutitur SACRO.

A 3

E con-

VI

E contrario sacer ignis in Templo Hierof. perpetuo arsurus, industriaque et cura sacerdotum fouendus, notabat gratiosam Dei praesentiam. Vbi paterfamilias focum habet et ignem, ibi habitat, velut in suo domicilio. Tale olim Dei habitaculum fuit Tabernaculum foederis, et postea Templum Hierof. Psalm. CXXXII, 14. Duplex autem videtur commemorari ignis sacer in vetustis sacrarum literarum monumentis. Alter omnium antiquissimus, et ab ipso propemodum huius vniuersitatis exordio, ac deinceps, tempore Patriarcharum, et aetate Mosis, ac Prophetarum, vstitatus, erat ignis ille miraculosus de coelo delapsus, et in prodigiosis sacrificiorum incendiis conspicuus. Qualis *ἐμπυρισμός* luculentum diuini fauoris censebatur signum, et argumentum, sacra rite oblata Deo non dissipuuisse. Ita Abrahamo, sacra facienti, Deus, igne e coelis demisso, suam *εὐδοκίαν* declarauit Gen. XV, 17. Moris antiquitatem confirmat historia Gideonis, cui, animi confirmandi causa, prodigium petenti, et sacrificanti super petra, Angelus Iehouae annuit, et ex faxis excitauit ignem, qui victimas absumsit, Iud. VI, 17. 21. Consentit historia Manoe, Iudic. XIII, 20. Sic Eliae, populum Hebraeum a superstitione Baalitica, ad veram religionem, a qua palam defecerant, reuocaturi, sacrificium, vndis vndiquaque perfusum, Iehouae, pium vatis diuiniorem zelum confirmaturus, et Baalis cultum ludibrio expositurus, victimas non tantum igne e nubibus, fulminis instar, cadente, cum lignis et lapidibus palam in conspectu omnium, concremauit, sed et aquam illo igne coelesti exhaussit, et dissipauit, 1. Reg. XIX, 38. Ita cum Dauid Rex, faeuiente per vniuersam Palaestinam pestilentia, inuocaret Iehouam, et sacra faceret, hic eius deprecationes gratiose exaudiuit, et per ignem, e coelo in altare lapsum, respondit, et *εὐδοκίαν* suam declarauit 1. Chron. XXII, 26. Idem paullo post contigit Regi Salomoni in splendidissimi Templi, ab illo extructi, dedicatione solemni 2. Chron. VII, 1. Eodem quippe modo legitur Templum consecratum, quo olim inauguratum erat Templum portatile, siue Tentorium conuentus. Iehouae enim igne coelitus demisso significabat, preces Salomonis, pro se et populi

populi salute fufas, et facra oblata, fibi nequaquam difplicuiffé. Ex hoc ἐμπυροσμοῦ, apud Dei populum non infrequente, recte illustratur commune populi Hebraei votum, pro Regis falute nuncupatum, quando precantur Pfalm. XX, 3 et 4, vt cunctarum oblationum eius Deus fit memor, וירשנה et eius holocausta, igne ξενοπυρην, coelitus demiffio, in cineres redigat, hoc est, KIMCHIO interprete, ששלח אש לשרפה ויקבלנה לרצון, vt immittat ignem ad illa confumenda, et ea beneuole fufcipiat. Eodem prodigio Deus fuam ἐσθλασιν videtur declaraffe in Abelis oblatione Gen. IV, 4. Vero vifum est confentaneum ABEN ESRAE, הכל מנחת הכה, שירדה אש ורשנה מנחת הכה, quod ignis de coelo descenderit, et Abelis quidem oblationem in cineres redegerit; ולא מנחת קין Sed Caini facrificium non item. Huius fententiae auctor peruetus est THEODOTION, verba Mosis interpretatus, καὶ ἐνεπύρωσεν, et inflammauit Dominus super Abel, et super facrificium eius: Super Cain vero et eius facrificium ἐν ἐνεπύρωσεν. Nec refragari videtur Auctor Epistolae ad Hebraeos Cap. XI, 4, vbi meminit μαρτυροῦντος ἐπὶ τοῖς δόξοις αὐτοῦ τῷ Θεῷ, indicaturus, Deum signo aliquo publico, et vifibili declaraffe, Abelem πλεονα θυσιαν, maioris pretii hostiam obtuliffé, eamque Deo placuiffé. Quod idem est cum eo, quod SYRVS interpres habet: καὶ ἐσθλάσεν ὁ Θεός. *) THEODOTIONIS vestigiis infiftunt CYRILLVS ALEXANDR. ** et PROCOPIVS ad h. l. et ex Latinis D. HIERONYMVS, *** quem fecutus est B. LVTHERVS nofter, quando ad eundem Geneseos locum adnotauit: *Etsi Moses illud signum, quo Deus ostendit, sibi Abel munera grata esse, non osten-*

* In Hexaplis ad citatum Geneseos locum f. 19, editis a BERN. MONTEFALCONIO.

** CYRILLVS ALEXANDR. L. I. Glaphyrorum T. I. Op. f. m. 16. Ἐπὶ μὲν τοῖς τοῦ Ἀβελ δόξοις πῦρ καθὶν ἐκαίθη, διαφανῶς παρατίνασε τὰ ἱερήματα. Ἐπὶ δὲ Καὶν καὶ ἐπὶ ταῖς θυσιαις αὐτοῦ, οὐ προσέλαξε. Οὐ γὰρ τὸ συνθεῖς ἱερήλιον πῦρ τοῖς προσεσημαγμένοις. In Abelis quidem dona ignis coe- litus descendens ad oblationum confumptionem comparatus fuit. Ad Cainum autem, et oblationes eius, Deus non attendit. Neque enim solitus ignis in oblata ab eo immiffus est.

*** D. HIERONYMVS Libro Quaestionum Hebraicarum in Genesin T. II. Op. f. 511. edit. Martianaei.

VIII

ostendit; *tamen verisimile est, fuisse* IGNEM COELO DEMISSVM, *quo oblatio hausta, et consumta in oculis omnium. Quis igitur non detestetur* Iesuitae CORNELII a LAPIDE, hominis fraudulentum et mendacis, impudentiam, qui calumniatur, LVTHERVVM derisisse illum ἐμπροσθεν in sacrificio Abelis, et fabulis Iudaeis adnumerasse. Megalandrum nostrum vindicarunt IO. HENR. HEIDEGGERVS, et PETRVS BAEIVS. Hoc tamen non absterruit EDMVND. MACLOTVM, Praemonstratensis familiae monachum in Gallia, * quo minus idem mendacium repeteret, eoque lectores improbe falleret.

De huiusmodi ἐμπροσθεν, et igne e coelis prodigiose delapso, gloriati etiam sunt gentiles, artibus cacodaemonis delusi, et a mystis suis in detestabiles varii generis superstitiones inducti. Id enim moliebatur mendacissimus Spiritus ille, ne haec gloria Deo vero esset peculiaris. Mentionem fecit C. IVL. SOLINVS collis cuiusdam in Sicilia, qui Vulcanius dicebatur, vbi imposita super aras lignorum viteorum congeries, igne coelitus delapso incendebatur. *Cum proficias intulerunt, si adest Deus, si sacrum probatur, sarmenta licet viridia, sponte concipiunt, et nullo instigante halitu ab ipso Numine fit accendium. Ibi epulantes adludit flamma, quae flexuosis excessibus vagabunda, quem contigerit, non adurit: nec aliud est, quam imago, nuncia perfecti rite voti.*** SERVIVS ad VIRGILIVM, qui dixerat veteres fulmine sanxisse foedera, notavit, *apud maiores arae non incendebantur, sed qui incendebant altaria, precibus ignem diuinum eliciebant.**** Inde Ioui Elicio nomen, cui aram in Auentino monte dicauerat Numa. PLINIVS Maior, vbi ignium miracula enarrat, ait, in Salentino oppido Egnatia, imposito ligno in saxum quoddam, ibi sacrum, protinus flammam existeret.**** Cum hoc ab incolis miraculum audiuidet

HORA-

* EDMVND. MACLOT in *Historia Vet. Testamenti gallice edita* p. 46^o Confer P. BAEII *Dictionarium* T. I. f. 17. sub voce Abel. et I. H. HEIDEGGERI *Historiam Patriarcharum Exercit. V. §. XXIII.* p. 184.

** V. SOLINI *Polyhistor* Cap. V. f. 17. edit. Salmastianae.

*** SERVIVS ad VIRGILII *Aeneid. Libro XII. v. 200.* p. 11. 1178.

**** PLINIVS MAIOR *Hist. Nat. L. II. Cap. CXL. f. 123.* edit. Floravim.

HORATIVS, Epicuri de grege porcus, rifu iocisque excepit,*
addens,

Credat hoc Iudaeus Apella,

Non ego.

Prehensus a SAM. BOCHARTO, quia tot testibus omnem fidem derogare difficile, et Satanus est ἀρχὸν τῆς ἐξουσίας τοῦ αἰῶνος Eph. II, 2, qui, permittente Deo, ignem coelitus immisit in greges Hiobi I. 16. Sic Maximae virginis AEMILIAE discipula, Vestae Numen adorante, cum carbasum, quam optimam habebat, fuculo imposuisset, subito ignis emicuit, apud VALERIVM MAXIMVM. ** Vt prodigium illustrius euaderet, addidit DIONYSIVS HALICARN. *** ex cinere pridem frigido, καὶ ἐδένα φουλακτρούσης σπινθήρα, neque ullam scintillam seruante, τὴν θεὰς ἀνὰ λάμψαι φλόγα πολλήν διὰ τῆς καεπάσσει, multam flammam per carbasum emicuisse. Mitto alia veterum scriptorum testimonia. Nam in Graecorum Romanorumque librorum monumentis nihil frequentius commemoratur, quam sacrum ignem e coelo decidisse, aut sponte sua accensum fuisse. Sic APPIANVS **** in Syriacis de Rege Seleuco meminit, Paternam aram, in Macedonia ἐκλάμψαι πῦρ μέγα, magno igne ipsi fulsisse, ἐδενὸς ἀψαντος, cum nemo illam accendisset. Plura dabit exempla PAVSANIAS in Atticis et Eliacis prioribus, quae pro lubitu euolui possunt. Ex huiusmodi igne, sponte in aris accenso, gentiles faustum saepe praesagium ceperunt. Hoc omen Tiberio spem rerum maximarum, feliciter gerendarum, fecit. Nam ingressio primam expeditionem, ac per Macedoniam ducenti exercitum in Syriam, accidit, vt apud Philippos sacratae olim victricium legionum arae sponte subitis colluce- rent ignibus, vti SVETONIUS, et DIO CASSIVS, rem narrant.

B

Ex

* HORATIVS L. I. Satyr. V. versu 97. Conferatur DACERIVS ad b. l. et P. BAEIVS in Dictionaire Histor. et Critique T. II. sub voce Egnatia f. m. 1107. et SAM. BOCHARTVS in Hieroz. L. II. C. 36. f. 364.

** VALER. MAX. L. I. Cap. I. p. 16. edit. Torren.

*** DIONYS. HALICARNASS. L. II. Antiquit. Rom. f. m. 228.

**** APPIANVS in Syriacis, Cap. 123. p. m. 198. Ad quem locum conferantur Notae ALEX. TOLLII.

X

Ex simili signo Seleucus euectionem suam praesensit, et ominatus est, apud APPIANVM loco antea citato. Interdum tamen ignem, sponte in aris accensum, non fuisse faustum omen ex illo * MARONIS loco intelligi potest, vbi tali casu optatur, vt sic felix:

Adspice: corripuit tremulis altaria flammis

Sponte sua dum ferre moror, cinis ipse. Bonum sit!

Vbi SERVIVS adnotavit: *Ideo dubitat, et optat, vt hoc signum bonum sit: quia ignis medius est, et qui possit etiam nocere.*

Nos misso profanarum gentium ἐπιτροπισμῶν, reuertimur ad ignem Sacrum Hebraeorum ἑξαγονετην, coelitus delapsum, et notamus, a Patriarchis illum, quam χειμηλίου, et luculentum diuini fauoris signum, additis subinde alimentis, conseruatum fuisse, ad oblata sacrificia deinceps accendenda et concremanda. Nusquam autem luculentior diuinae εὐδοκίας significatio per huiusmodi ignem coelestem contigit, quam in Tabernaculi, a Bezaleele constructi, dedicatione, et Aaronis ad summum pontificatum initiatione, vbi facer et coelestis ignis, spectante omni populo, et metu praesentis Numinis in terram concidente, denuo decidit Leuit. IX. 24, a sacri ordinis viris ita deinceps fouendus, iugiterque alendus, ne exstingueretur, neue in ara ad sacrificia et suffitum, ignis facer vnquam desset, neue alieno et profano igne sacra vnquam fierent. Quale facinus Supremum Numen in Aaronis filiis, Nadab et Abihu, immissa illis morte repentina, grauiter vindicauit, Leuit. X. 1. Neque enim thuribulo aliae debebant prunae iniici, quam ex altari sumtae, Leuit. VI. 12, et Apoc. VIII. 5. Ceterum de ignis illius sacri, in Aaronis inauguratione coelitus delapsi, conseruatione, multae variaeque lites sunt exortae, miris sententiarum diuortijs inter viros eruditos agitatae. Quaesuerunt enim, an in Tabernaculi ara exteriori perpetuo manserit ignis ille coelestis? An euauerit, aut pristinam sedem, vnde egressus est, repetierit, et quoties opus fuit, de nouo descenderit? Hebraeo-

* VIRGILIUS *Ecloga VIII. vers. 109.*

Hebraeorum magistri plurima de hoc igne *θαιμώσιον* excogitarunt, et diuulgant, quorum commenta apud IO. BUXTORFIVM in *Historia ignis sacri* copiose confarcinata legi possunt. Communis eorum sententia est, ignem, qui descendit tempore Moysi, non ablatum fuisse ab altari Tabernaculi, nisi tempore Salomonis. Vicissim ignem sacrum tempore Regis Salomonis delapsum, in altari Templi mansisse vsque ad regnum impii Manassis, qui eum abstulerit. Nec desunt qui etiam post reditum Iudaeorum ex Babylonico exilio, et ad extremum vsque Iudaeorum excidium, arsisse, et durasse, fabulantur, ignem illum sacrum. Auctor historiae Maccabaicae II Cap. I. 19 tradit, pios sacerdotes, ante luctuosum ex patria in exilium Babylonicum abitum, ignem altaris in puteo exsiccato abscondisse, et post reditum ex exilio, Nehemiam *עֲמָדָה נַחֲמִיָּה*, aquam densam, eruisse, siue vt PSEUDO-IOSEPHVS GORIONIDES fingit, *שֶׁמֶן וְעֵב כֶּרֶבֶשׁ מִי מַיִם* aquam pinguem et densam, vt mel, Esdrae iussu, sacerdotes haulisse, qua cum aspersae fuissent victimae, inde accensam fuisse *πυρὸν μερμερόν*, cum omnium adstantium summa admiratione. Sed de his omnibus neque in annualibus Regum, neque in vaticiniis Ieremiae, neque in libro Nehemiae, quippe qui nec Templum, nec altare restaurauit, vt auctor Maccabaicae historiae l. c. v. 18. fabulatur, neque in Esdra, neque in vero IOSEPHO aliquid legas. Etsi enim posterioris aedis extructionem et dedicationem describunt, nihil tamen commemorant de igne a Deo iterum immisso, rem adeo memorabilem silentio non praetermissuri, si reuera contigisset. Nec tot postea querelae fuissent auditaе a Talmudicis, de ignis coelestis defectu sub Templo secundo. Nobis nihil dubii est, quin ignis iste sacrificus, e coelo primitus gratiose demissus, lignis adpositis, deinceps fuerit fouendus. *

B 2

Prin-

* Huic sententiae subscribunt D. AVG. PFEIFFERVS in *Dubiis Vexatis ad b. I. CONSTANT. L'EMPEREUR in MIDDOTH.* et D. SAL. DEYLINGIVS *Obseruat. Sacr. T. II. p. 168. Idem adseruerunt IO. CALVINVS ad b. I. IO. RAINOLDVS, Anglus pereruditus, in Censura Libr. Apocryphorum T. II. Praelectione CXXXIII. p. 82. et IO. MARCKIVS in Sylloge Dissertationum Philologico-Theologicarum, Exercit.*

XII

Principium erat e coelis, eius autem perpetuitas pertinebat ad curam sacerdotum. Deus quippe volebat quotidie miracula facere, sed volebat hominum opera uti, ad ignem perpetuum in Templo alendum, qui sacris quotidie faciendis destinatus erat.

Sententiam nostram confirmat quodammodo et illustrat illa ignis quasi sacri apud gentiles asseruatio, et consuetudo, ab Hebraeis sumpta. Huiusmodi enim perpetui ignis, quem ad combustionem holocausti, ab Aarone oblatus, Deus super altare immisit, notitiam ad gentiles dimanasse, non immerito putauit EZ. SPANHEMIVS in *Notis ad CALLIMACHVM*, qui *destillantem* a Ioue *flammas* memorauit. * Quod vates hic Cyrenaeus, et qui Alexandriae, vrbe Iudaeorum feraci, vixit, et Interpretum Alexandrinorum versionem in Bibliotheca Regis Philadelphi procul dubio euoluit, ignorare vix potuit. Certe ex sacro et perpetuo illo Hebraeorum igne per *καιοζήλιαν* nata sunt variarum gentium *πυρραία, πυραθεία, πυρατειά*, quasi *πυρὸς ταμεία*, secundum veterum Grammaticorum expositionem, hoc est, *promptuaria ignis*, quem ut Summi Numinis imaginem coluerunt, et in altari accensum perpetuo aluerunt. Quem morem Persarum cum primis magi tenuerunt, *πῦρ ἀσβεστον Φυλάκτωντες*. Aduersus hostes ituri argenteis altaribus, CVRTIO teste, praetulerunt, SACRVM vocantes atque AETERNVM. Prostat AMMIANI MARCELLINI locus insignis, ** a IVSTO LIPSIO corruptus, et ita restituendus: *Ferunt, si iustum est credi, etiam ignem caelitus lapsum apud se sempiternis focus custodiri, cuius portionem exiguam, ut faustam, praeisse quondam Asiaticis Regibus dicunt.* Idem LIPSIVS peculiari Syntagma-
te

cit. VI. §. VI. p. 237. vbi argumenta dissentientium diluit, et fabulas vulgo adferri solitas docte profligauit. Contra sensit ex nostris B. WOLFFG. FRANZIVS in *Schola Sacrificiorum*, cuius rationes in compendium missas recitat B. DORSCHVS in *Syllabo ad Theologiam Zacharianam §. CCLXXI.*

* CALLIMACHVS *Hymno in Dianam vers. 118. ap. EZ. SPANHEMIVM p. 220.*

** AMMIANVS MARCELLINVS *Libro XXIII. Cap. VI. f. 374. edit. H. VALESII.*

te de *Vesta et Vestalibus* * agens, atque de cultu ignis apud alias gentes, verba attulit DIODORI SICVLII Latine, quae tamen nusquam apud eum scriptorem leguntur. Multo accuratior est EZ. SPANHEMII Diatribe de *Vesta et Prytaneis Graecorum*, vbi de igne inextincto in Vulcani fano apud Siculos, in templo Cereris et Proserpinae, apud Mantinenfes, Arcades, et in templo Delphico, nec non apud Aegyptios, Phoenices, Cappadoces et Troianos, quin et, orientalium populorum exemplo, apud Romanos, in aede Vestae a virginibus, vt symbolo diuinitatis in focus adseruato, sancteque custodito, pererudite more suo egit. Ipsa Perfarum *πυρῆα* vel *πυραθεια* oculis repraesentata exhibet TH. HYDE, Anglus eruditissimus, qui sub initium huius seculi *Historiam Religionis veterum Perfarum, eorumque magorum, Oxonii* in lucem edidit, vbi id praecipue egit, vt Persas a primis disperfarum gentium temporibus vnum Numen coluisse, et ab idolorum cultu abhorruisse, ex ipsis Perfarum antiquissimis monumentis euincat. Distinguit propterea capite fratim primo inter *πυροδελειαν* et *πυρολατρειαν*. Illam in Persis obtinuisse largitur: Hanc apud illos fuisse negat. Vix prodierat ex theatro Scheldoniano HYDEI opus, quum Romae PHILIPPVS a TURRE, Foro iulienfis, *Monumenta veteris Antii* ederet, in cuius voluminis altera parte, quae de Mithra agit, pro tuenda vulgari opinione, et diuino ignis cultu ac censu disputat. Hoc enim elementum, et Mythram, non solum ab HESYCHIO dici τὸν πρῶτον ἐν Πέρσαις Θεόν; sed et ab HERODOTO tradi: Πέρσαις Θεὸν νομίζουσι εἶναι τὸ πῦρ. Qui plura veterum scriptorum testimonia desiderat, adeat laudatum TVRRIVM et IVRIAEVM**, nec non BOCHARTVM, EZ. SPANHEMIVM l. c. aliosque. De reliquo hoc nobis certum et extra controuersiam positum esse videtur, Persas veteres ceteris paganis paullo puriores fuisse, et non tantum a simulacrorum cultu, sed et a multitudine deorum, quibus Chaldaei, Graeci, Aegyptii et Romani abundabant, antiquissimis tempo-

B 3

ribus

* Exstat in Thesauri Antiquit. Roman. Graeuiani Tomo V. vterque et LIPSIJ et EZ. SPANHEMII libellus. f. 629, et 650.

** IVRIEV *Histoire Critique des Dogmes et des Cultes* P. IV. Tr. VII. Cap. II. p. 720.

ribus sibi temperasse. Praeterea Persarum scriptoribus, quorum testimonius HYDEVS nititur, maior debetur fides, quam peregrinis, ac Graecis imprimis et Romanis, qui statum veteris religionis Persicae minus cognitum habuerunt.

De reliquo ignis sacri in ara Templi Hieros. custodia perpetua cum eius excidio ferali desit, et post Christi aduentum, conditamque nouam gratiae diuinae Oeconomiam, cum vniuerso cultu Leuitico, et figurarum apparatu, euanuit, vt umbrae solent post exortum Solis. Alius autem ignis sacer, coelitus in corda fidelium immisus, nobis est fouendus, ac perpetua cura custodiendus, ne vnquam exstinguatur. Intelligimus Spiritum S. Spiritum sapientiae et consilii, qui in primo pentecostes festo Christiano sub visibili ignis specie, siue sub imagine flammularum, per coenaculum dispersarum, quae linguas quasi repraesentabant, et ab Apostolis, aliisque credentibus, qui eo tempore praesentes erant, ἀφθρῶν, *conspicuae fuerunt*, effusus est cum magna donorum copia et varietate, cuius gratiosa operatione legati Seruatoris nostri initiati idonei sunt redditi ad munus Apostolicum in vniuerso terrarum orbe recte et cum fructu obcundum. Id ipsum continuo apparuit palam. Simulac enim ἐπλήθησαν ἅπαντες πνεύματος ἁγίου, ἤρξαντο λαλεῖν ἐτέροις γλώσσαις, καθὼς τὸ πνεῦμα ἐδίδε αὐτοῖς ἀποφθέρῃσθαι. Eminebant in illis collocationibus, mira peregrinarum linguarum varietate institutis, τὰ μεγαλεῖα τοῦ Θεοῦ Act. II, 4. et 11. Hunc Spiritum S. Pater coelestis hodiernum vult filiis suis petentibus gratiose impertiri, tanquam donum, Christi morte et resurrectione nobis promeritum Lucae XI. 13, et salutem consecuturis summopere necessarium. Nam si quis, nomen Christiani mentitus, πνεῦμα χειρῶν οὐκ ἔχει, videlicet αἰκοῦν ἐν ἑαυτῷ, ἔτος οὐκ ἔστιν αὐτοῦ Rom. VIII, 9. Huiusmodi homines non sunt πνευματικοί, a Spiritu S. renati, et sanctificati, veraque fide in Christum imbuti, sed tantum ψυχικοί, et *carnales*, πνεῦμα μὴ ἔχοντες Ep. Iudae v. 19. qui non habent Spiritum S. eiusque charismata, et dona sanctificantia, sed tantum σῶμα καὶ ψυχὴν, solas corporis et animae rationalis ac naturae vires I Cor. II, 14. Quoad homo in hoc infelici statu perma-

net,

net, τὸ τοῦ πνεύματος, *res spirituales*, nec diuino assensu δεχέ-
 δογ, amplecti, quinimo ne quidem δύναται γινῶσθαι, simplici co-
 gnitione genuinum earum sensum, prout decet, adsequi potest.
 Diuina enim mysteria ipsi sunt μωρία, et mera stoliditas. Huius-
 modi homo extra Dei gratiam, et conuersionis statum, consti-
 tutus, ad τὸν κόσμον ad mundum pertinet, adeoque τὸ πνεῦμα
 τῆς ἀληθείας οὐ δύναται λαβεῖν, Ioh. XIV, 17. Spiritum S. qui
 ductor est in omnem veritatem Ioh. XVI, 13, accipere, ab eo-
 que inhabitari nequit. Neque enim Spiritus hic, munditium
 amans, pro domicilio sibi eligere vult animum proaereticorum
 peccatorum fordibus contaminatum, in quem dominium exer-
 cet ἐν τοῖς οἴκοις τῆς ἀπειθείας Eph. II, 2. Nulla autem est κοινωνία
 φωτὶ πρὸς σκότος. Nec vllum consortium δικαιοσύνη καὶ ἀνομία,
 2 Cor. VI, 14. Nec vlla est conuenientia Templo Dei, cum fan-
 nis et delubris falforum Deorum. Operam igitur date, CIVES,
 et preces ac omnem cogitationem eo dirigite, vt hoc prae-
 fertim tempore festiuo, memoriae Spiritus S. in Apostolos ef-
 fusi, pie recolendae destinato, consequamini וְהָיָה לְכָל אֶתְנַחְדָּתְךָ
Spiritum gratiae et precessionum, Zach. XII, 10, vtque omnes
 ac singuli sitis ναὸς Θεοῦ ζῶντος, *Templum Dei viui*. Haec fe-
 licitas obtinet vobis, quando τὸ πνεῦμα τοῦ Θεοῦ οἰκεῖ ἐν ὑμῖν,
 1 Cor. III, 16. nec solum incipit in vobis habitare, et operari,
 sed et constanter ac perpetuo in vobis manet. Nolite igitur
 hunc ignem sacrum in Vobis extinguere, sed in ara cordis
 vestri alite, eum fouete et custodite. Lex erat Romanorum,
 ignem foci publici sempiternum in Vrbe virgines Vestales cu-
 stodiunto. Quidni curarent Christiani, ignem sacrum diui-
 ni amoris, et Spiritum S. cum suis donis, semel collatum, per-
 petuo conseruare, et omni animi munditie per vniuersam
 vitam custodire. Apud Hebraeos ara Templi exterior erat
 in medio atrii sacerdotum, et sub dio, aeris iniuriis exposita.
 Nunquam tamen accidisse aiunt magistri *, vt imbres ignem sa-
 crum

* De hoc prodigio insigne testimonium existat in Tract. Mischnico PIR-
 KE AVOTH Cap. V. §. 5. f. m. 407. T. IV. edit. Surenbustianae,
 לא כרגשמים אש של עצי המטרכה, Non exstinxerunt pluuiae ignem li-
 גיטוריות

XVI

crum in altari accensum exstinguerent, aut vlla ventorum rabies columnam fumi ab hoc igne recta adscendentem, disturbaret. Faxit Clementissimum Numen, ne preces nostrae, gratiosa *ενεργεια* Spiritus S. in nobis excitatae, peccatorum turbine vnquam impediatur, aut vilo casu aduerso ignis hiecc facer in nobis exstinguatur. Obedite, et diligenter attendite ad ductum Spiritus S. Illi soli sunt Dei filii, qui ductum Spiritus S. sequuntur, Rom. VIII, 14. Confluatis hisce diebus festis in Templo, et audiatis verbum diuinum, a Christi legatis dilucide vobis exponendum. Ex verbi auditu nascitur fides Rom. X, 17, et per idem hoc medium communicatur Spiritus S. Actor. X, 44. *Hoc enim constanter tenendum est, Deum nemini Spiritum, vel gratiam suam largiri, nisi per verbum, et cum verbo externo, et praecedente, quod B. LUTHERVS* diligenter inculcat, praemuniturus nos aduersum Enthusiastas, quales hodiernum nostram Ecclesiam valde infestant, qui iactitant, se ante verbum, et sine verbo, Spiritum S. habere. Cum Deus tamen nobiscum non velit aliter agere, nisi per vocale verbum et sacramenta. Quidquid sine verbo, et sacramentis iactatur, vt Spiritus, iudice eodem MEGALANDRO, est ipse diabolus. Nec negligatis aedem Academicam, in qua crastino die, quod felix faustumque sit, audita hora XII. Vir iuuenis Nobilissimus et Ornatissimus Dn. M. IO. GEORG. WAGNERVS, Freibergensis, de Spiritus S. intercessione orationem non sine festiuitatis et concinnitudinis ornatu recitabit. Ad haec igitur solemnia, concentu Musico pie celebranda, ILLVSTRISSIMOS COMITES, GRAVISSIMOSQUE VTRIVSQUE REIP. PATRES, cum vniuerso Generosissimorum ac Nobilissimorum ciuium coetu, ea, qua par est, obseruantia atque humanitate inuitamus. P. P. pridie Festi Pentecostalis, A. O. R. 1000 XXXIII.*

gnorum struis in altari. Ibidem et hoc commemorant שלא נצחה הרוח שלא נצחה הרוח, quod non vicerit ventus columnam fumi ab hoc igne adscendentem.


* In Articulis Smalcaldicis P. III. Artic. VIII. p. 337. et 333.

EX OFFICINA LANGENHEMIANA.

ad 12.

00 A 6450

12





RECTOR
 VNIVERSITATIS LIPSIENSIS
 AD
 SACRA
 PENTECOSTALIA
 IN
 TEMPLO ACADEMICO
 CRASTINO, DEO VOLENTE, DIE
 HORA XII. ANNO A NATA MVNDI SALVTE
 CIO MDCC XXXXIII
 SOLEMNI ORATIONE
 CONCELEBRANDA
 OFFICIOSE AC PERAMANTER
 INVITAT.

